



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.  
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In  
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.  
VII. Pont. Max.

**Esparza Arteida, Martin de**  
**Lugduni, 1666**

LII. Vtrum odium Dei sit maximum peccatorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

## QVÆSTIO LII.

Vtrum odium Dei sit maximum Peccatorum?

**V**IDETUR non esse maximum. Quia maximum malum est, quod maxime, ac summe nocet. Nocet verò magis infidelitas, quam odium Dei. Quia fides est fundamentum ædificij spiritualis, cuius culmen est charitas. Magis autem nocet, quod tollit fundamentum ædificij, quam quod culmen. Magis igitur nocet infidelitas, per quam tollitur fides, quam odium Dei, per quod sola tollitur charitas. Ergo infidelitas est deterius quam odium Dei.

Confirmatur, quia quod magis remouet à Deo, est deterius. Infidelitas autem remouet magis à Deo, quam odium ipsius. Quia in sensu composito odij Dei dari potest inchoata coniunctio cum eodem, quæ est per fidem. At in sensu composito infidelitatis nullus est locus ulli conjunctioni cum Deo, siue inchoate, siue perfectæ, ac completæ; quandoquidem eo ipso remouentur spes etiam, & charitas, ut patet ex dictis supra q. 32. circa dependentiam essentialiam vtriusque à fide.

Sed contra est. Quia oppositum optimi est pessimum, atque maiori bono opponitur maius malum, ut habetur ex Philoſ. lib. 8. Ethic. cap. 10. sub initium. Charitas autem est maximum bonum inter omnes virtutes, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 13. sine: *Maiores autem horum est charitas.* Ergo odium Dei, quod opponitur charitati est maximum, ac pessimum inter omnia vitia, ac peccata.

Confirmatur, quia vitia non minus, quam virtutes, specificantur ex obiectis suis. Ergo sicut charitas, quia fertur ad Deum sub ratione summi boni secundum se, est summa virtus; ita odium Dei, quia recedit directe ab eodem sub eadem ratione formali est summum vitium, cuiusque malitia est summa.

Art. 1. Respondetur. Deus secundum se præcisè à nemine potest odio haberi. Quia Deus secundum se, & secundum omnia, quæ ipsi insunt in se intrinsecè, est purum bonum, atque ut tale apprehenditur, & iudicatur à quocunque apprehendente Deum secundum se, & iudicante existere Deum, quin aliquid aliud intericiat, aut superaddat de ipso relatè ad effectus creatos. Purum autem bonum, quatenus tale, nec mouere potest ad odium, nec odium terminare, quatenus apprehenditur, ut purum bonum. Quia obiectum tam motiuum, quam terminatiuum odij est malum secundum se, bonum verò non nisi, ut subest malo. Impossibile igitur est, ut Deus odio habeatur secundum se præcisè. Imò amatur necessario ab omnibus etiam demonibus, aliisque damnatis sub conceptu causæ primæ. Quia eius existentia est eatenus necessaria ad existentiam aliorum omnium. Quicunque autem vult aliquid, necesse est, ut velit eo ipso causam eius necessariam. Cum igitur omnes necessario ament se, aut aliquid ad se pertinens, amant vtique omnes necessario existentiam Dei, quatenus est causa prima. Quæ de re videri possunt quæst. 13. de act. hum. & quæstio. 20. de Angelis initio.

Art. 2. Fieri nihilominus potest, ut odio habeatur Deus ratione suorum effectuum, tum indirectè odio latius sumpto, tum directè odio strictè, ac propriè tali. Indirectè quidem, quia fieri potest, ut ametur aliquod bonum creatum, tanquam vltimus finis, & summum bonum amantis. Hoc enim facit quicumque lethalliter. Eo autem ipso remouet à Deo practice, & affectiue rationem eandem vltimi finis, & summi boni, quatenus hæc ratio est immultiplicabilis re ipsa, ac proinde odio habet Deum indirectè. De istiusmodi

odio Dei sunt plura testimonia in sacra pagina, quæ videri possunt apud Valent. quæstio. 11. puncto 1. aliosque in præsentia. Illud est illustre ex Num. 10. 35. *Surge Domine, & dissipantur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* Potest autem etiam directè odio haberi Deus odio iniustitiæ propriè tali, quatenus est causa effectuum displicentium alicui. Quia causa effectus displicentis ratione sui, potest displicere, & odio haberi ratione eiusdem effectus; itaut odium terminetur immediatè ad ipsam causam secundum suam entitatem, tametsi motiuum immediatum odij sit solus effectus. Itæ odio habetur directè, ac immediatè, qui infert iniuriam, & persequitur iniuste, tametsi motiuum immediatum odij sit sola iniuria, aut persecutio. Deus autem est causa plurium effectuum displicentium appetui inordinato. Est enim causa prohibens peccata, & irrogans pœnas peccatorum. Displicent autem appetenti inordinatè tum prohibitio peccatorum, tum pœnarum irrogatio. Fieri verò potest, ut odium abominatiōis aduersus eiusmodi effectus usque adeo crescat, sitque usque adeo vehemens, ac inordinatus, ut pariat odium inimicitiae propriè tale aduersus Deum, prout apparet ex exemplo nuper proposito, & ex hac insuper ratione.

Art. 3. Quia nimirum principium effectus peccati odibilis apparet, & ipsum odibile respectu considerantis principium mediante effectui. Apparet enim eatenus ad instar effectus sui, ideoque induit apparentiam mali, quando effectus, mediante quo cognoscitur, est malus, & apprehenditur, ut odibilis. Obiectum autem odij est malum verum, vel apprens, sicut obiectum amoris est bonum verum, vel apprens, ut dicitur communiter ex Philosopho. Hoc igitur pacto possibile est, ut Deus odio habeatur directè per odij inimicitiae propriè tale, ut docet D. Thom. quæst. 34. art. 1. alijque communiter ibidem, ubi Caietanus dissoluit optimè nonnullas ratiunculas in contrarium ex Martino de Magistris, quas credo sufficienter à me præoccupatas esse. Necesse porro non est, nec verò decet, ut probetur odium Dei esse malum, cum videatur esse per se notum. Solum igitur examinare oportet, quod solum examinat D. Thomas ibidem art. 2. quantum malum id sit. Placet vero eam rem paulò altius repetere propter contentiones, & ambiguitates nonnullorum nuper autorum circa istam, aliisque similes comparationes, quæ aliquibus videntur nullum exitum habere absolute posse propter insufficienciam intellectus humani.

Art. 4. Virtutes possunt inuicem comparari; tum in ratione medij, quatenus viles sunt, ac necessarie ad consequutionem vltimi finis; tum in ratione finis, quatenus immediatè per se ipsas nos perficiunt, ideoque sunt æstimabiles, ac appetibiles immediatè ratione sui. Est autem hoc discrimen inter media inuicem subordinata per se, & inter fines similiter inuicem subordinatos: Quod nimirum oppositum supremæ, ac optimi medij est infimæ, ac minimæ malitiæ; atque oppositum infimi, ac vilissimi medij est è conuerso supremæ, ac summæ malitiæ. At oppositum fini præcipuo, ac summo est præcipue similiter, ac summæ malitiæ; atque oppositum infimo, ac vilissimo fini est infimæ similiter, ac minimæ malitiæ. Vtrumque à posteriori per exempla colligere quibus facile potest, obseruata qualibet serie, & mediorum, & minimi sibi notiorum.

Art. 5. Ratio à priori quoad media est. Quia media præcisè quatenus media sunt, æstimantur, & appetuntur ratione finis, ad quem vtilia, aut necessaria, ideoque æstimantur plus, aut minus, iuxta gradum propinquitatis, & remotiōis respectu ipsius finis. Ita videlicet, ut quæ sunt propinquiora fini, sint meliora, ac æstimabiliora; minus vero bona, minusque æstima-

estimabilia, quæ sunt ab eodem remotiora. Quia quod est propinquius primo, est prius in quouis genere, ut dicit Philosophus. Medium autem remotissimum à fine est maxime necessarium. Minima verò, ac infima necessitatis est medium, quod est propinquissimum fini. Quia medium remotissimum à fine est necessarium, non solum ad consequutionem ipsius finis secundum se, quod eiderem remotissimo medio est commune cum cæteris omnibus mediis, sed est etiam necessarium ad ponenda à parte rei reliqua omnia, & singula media, ut per se patet, loquendo ut loquor, de mediis continua serie inuicem subordinatis per se. At medium propinquissimum fini est necessarium ad consequutionem tantummodo ipsius finis. Quia ante tale medium, ac prinde independentem ab eodem, præsupponuntur iam existentia reliqua omnia media. Quod itidem patet per se sub eadem suppositione. Manifestum porro est, in iis, quæ estimantur, & appetuntur præcisè quatenus sunt necessaria ad aliquid aliud, id maxime nocere, esseque proinde maxime malum, quod opponitur maxime, ac summe necessario; quod vero opponitur ei, quod minime omnium necessarium est, minime omnium nocere, esseque proinde minime malum. Manifestum igitur est, inter media inuicem subordinata si considerentur præcisè, ut media sunt, illud esse pessimum, summæque malitiæ quod opponitur directè medio infimo, infimæque bonitatis; quod vero opponitur medio optimo, supremæque perfectionis, esse è conuerso infimæ, minimæque malitiæ.

Art. 6. Opposita de finibus ut fines sunt ratio est. Quia quilibet finis, si consideretur præcisè, ut finis est, estimatur, ac appetitur ratione sui. Vnde eius eatenus bonitas pensatur conceptu solum absoluto, terminato ad ipsum secundum se præcisè. Consequenter igitur malitiæ etiam eius, quod opponitur fini, ut finis est, pensatur similiter conceptu absoluto; nempe præcisè quatenus aufert ipsum finem, cui directè opponitur. Patet autem, inter ablatiua bonorum, quatenus ablatiua eorum præcisè sunt, illud esse pessimum, quod opponitur optimo; illud verò esse minimæ, ac infimæ malitiæ, quod opponitur minimo, ac infimo bono. Quia malum consistit in priuatione boni, ideoque crescit, ac minuitur iuxta augmentum, ac diminutionem boni, quo priuat. Oppositum igitur supremæ finis est pessimum; & oppositum infimi finis est minimæ malitiæ.

Art. 7. Colligitur iam ex his clarescit, si virtutes Theologicæ considerentur in ratione medij, infidelitatem esse deterius odium Dei, eodemque esse nocentiorum extensiuè. Quia fides, cui opponitur infidelitas, est medium magis necessarium ad salutem, quam charitas, cui opponitur odium Dei. Fides enim ad ipsam quoque charitatem est necessaria; non autem è conuerso. Vnde sublata fide, eo ipso aufertur etiam charitas; non autem è conuerso. Ac demum amissa fide homo separatur à Deo totaliter; non verò sola, ut fieri potest, amissa charitate.

Art. 8. At si eadem virtutes considerentur in ratione finis, deprehenditur odium esse deterius infidelitate, omniumque vitiorum, ac peccatorum esse longe deterrimum. Quia ex Matth. 22. 27. *Non est maximum, & primum mandatum; Diliges Deum, & proximum tuum ex toto corde tuo*, atque charitas est maxima omnium virtutum ex loco indicato ad Corinthios; & consequenter eadem charitas est finis reliquarum omnium virtutum, iuxta illud. *Finis legis est dilectio*. Vnde odium Dei, quod opponitur directè charitati, separatur à Deo, quod ad intentionem attinet, multo magis, quam vitium aliud peccatum. Quia reliqua peccata separant, & auertunt à Deo plus, minus,

præcisè quatenus participant aliquantulum rationem odij Dei, ut ostendit D. Thomas in illo art. 2. & tunc optime Caietanus ibidem. Præterea quo motuum virtutis, cui contradicit actus vitiosus, est maius, eo oportet maiorem esse conatum voluntatis in eliciendo actu vitioso: Quo videlicet ipsa resistit allicientiæ motui virtutis, eamque repellit, & superat; atque maior quisque imperus non nisi maior pariter vi resistentiæ superatur. Quia itidem de causa communiter, & verissime dicitur, eo cæteris paribus, vnumquodque peccatum esse maius, ac deterius, quo cognitio auertens ab illo patrandò fuerit maior, ac perfectior. Quia nimirum eiusmodi cognitioni resistitur per se maiori, ac intensiori conatu, ideoque peccatum euadit intensius, ac maius.

Art. 9. Cum ergo odium Dei, ex conceptu suo specifico, contradicat directè summo bono secundum se, & quidem cognitio ut tali, atque excessus summi boni supra omnem aliam honestatem sit infinitus simpliciter; patet idem odium, ex eodem suo conceptu specifico, esse peccatum incomparabiliter maius quolibet alio peccato, ac proinde esse maximum eatenus absolute peccatum, summumque. Vnde est difficilis, saltem per se, & cæteris paribus, ut qui incidit in odium Dei, respiciat, & conuertatur ad Deum per charitatem, quam ut respiciat, & conuertatur ad fidem, qui incidit in infidelitatem, & sic de quouis alio peccato, eiusque emendatione. Propter hæc igitur omnia, consideratis virtutibus Theologicis in ratione finis, odium Dei euadit deterius infidelitate, licet hæc excedat; iisdem consideratis in ratione medij.

Art. 10. Quia verò ratio finis præeminet rationi medij, & quæ consequuntur ad conceptum finis, iis, quæ consequuntur ad conceptum medij; dicitur, dum est denique, odium Dei esse deterius absolute, omnibusque consideratis, quam infidelitatem, aut quoduis aliud peccatum. Cum qua ratione coincidit illa alia ratio nuper indicata de maiori intensione specifici malitiæ odij, indeque proveniente difficultati per se emendatione, ac retractatione huius peccati, quam cuiusvis alterius. Quia intentio, seu quasi intentio, quoad conceptum specificum, præeminet absolute excessui purè extensiuo; atque malum, ratione suæ magnitudinis specificæ, magis difficultè auferibile, ac emendabile nocet absolute magis. Igitur odium Dei est maximum absolute, deterrimumque peccatorum, ut tradit D. Thom. dicto art. 2. quæst. 34. aliique communiter ferè omnes.

Ad rationes dubitandi, earumque confirmationes in vtramque partem patet satis ex dictis. Expolita namque est, & accommodata idonea distinctio, qua singulis vtriusque indicatis facile occurratur, & sine qua iisdem plenè satisfieri nequaquam potest, ut conuincere, cuique licet ex iis, quæ disputant fortissimo, quasi quodlibet circa huiusmodi controuersiam Suarez, Puente, Hurtado, Cardinalis de Lugo aliique moderni. Indidem eadem proportionali rationi deducitur, malitiam desperationis esse median inter malitiâ infidelitatis, & odij Dei. Quia & necessitas, & etiam perfectio spei est media inter necessitatem, & perfectionem fidei, & charitatis, ut dictum est quæst. 40. quanquam ibi præcipue considerata, ac discussa est ratio medij, & quidem vnicè in responsione ad 1. quod erat institutum eius loci.

Nota, Theologos agere communiter in presenti de odio proximi, acedia, discordia, schismate, bello, & aliis eiusmodi quatenus oppositis charitati. Verum quia illi opponuntur ratione generali, specialiter verò opponuntur singula eiusmodi vitia singulis specialibus virtutibus moralibus, satius vitium est agere de illis, ubi de istis.

Finis

Coll. 506. 1. 55v Paderb.  
Anno 1667